

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate; de Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. An in prima volitione finis voluntas seipsam moveat?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77355](#)

Sed aliae potentiae interdum resistunt motioni & A applicationi voluntatis, ut patet in intellectu, qui interdum non sicut se applicari à voluntate ad considerationem alicujus objecti, sed ipsa invitata & reniente ad alia distractatur: Ergo signum est potentias animæ non moveri à voluntate, ratione sympathia & colligationis, sed per aliquid eis realiter à voluntate impressum, cuius impulsus aliquando superatur à resistentia illarum potentiarum.

9. Non est etiam omittendum, ex motione & applicatione voluntatis redundare in potentias inferiores quandam perfectionem intrinsecam, aliquem scilicet modum libertatis, quem non habent, si non moverentur ab illa; ex quo fit quod appetitus inferior sit subiectum virtutum moralium infusarum, ut in tractatu de virtutibus ostendimus: difficultas autem id potest intelligi & explicari, nisi admittatur aliquid reale in potentias inferioribus, ex motione & applicatione voluntatis derivatum, quod eleventur ad operationem, propriam virtutem specificam excedentem: Ergo voluntas potentias inferiores movet & applicat ad suos actus, per impressionem alicujus virtutis aut impulsus, & non ex vi solius naturalis sympathia & colligationis quam habet cum illis, ex eo quod in eadem anima coniungantur & radicentur.

10. Dico ultimò: Voluntas non solum alias potentias, sed etiam seipsum movet quoad exercitium. Est etiam D. Thomæ art. 3. hujus questionis.

Probat in argumento *sed contra*: quia voluntas est domina sui actus, & in ipsa est velle & non velle. In corpore probat hoc discursu: Ita se habet finis in appetibilius, sicut principium in intelligibilius: Sed intellectus per hoc quod cognoscit principium, reducit seipsum de potentia in actum, & movet seipsum ad cognoscendas conclusiones: Ergo similiiter voluntas ex eo quod vult finem, reducit seipsum & moveret ad volendum ea qua sunt ad finem.

11. Dices: Si voluntas moveret seipsum, esset in continuo motu: Sed hoc est falsum: Ergo & illud. Probat sequela: Nam mobile moveretur ad presentiam sui motivis: Sed voluntas est semper sibi præfens: Ergo si moveat se, semper movebitur.

Respondeo, negando sequelam. Ad probationem dico cum D. Thoma hic in resp. ad 2. quod voluntas non est semper sibi præfens in ratione motivi: quia non semper adest actualis voluntas, per quam seipsum movet ad electionem medium. An vero ad primam etiam volitionem finis se moveat, dicimus articulo sequenti.

ARTICVLVS II.

An in prima volitione finis voluntas seipsum moveat?

S. I.

Quibusdam premisis difficultas proponitur.

12. NOTANDVM primò: Volitionem finis posse dici primam, vel simpliciter & respectu totius vitæ, quam scilicet homo elicit dum primò pervenit ad usum rationis; vel solum secundum quid, & in aliquo ordine seu negotio; quam nimis in aliquo negotio tractan-

do aliquis primò habet, ut dum quis incipit velle sanari, aut bellum gerere, vel ingredi religionem: & haec intentio aliquando habet connexionem cum aliis actibus antecedentibus: interdum vero nullum supponit actum priorem, cum quo formaliter aut virtualiter connectatur.

Notandum secundò: Duobus modis posse intelligi, voluntatem se mouere in finem: Primo large & communiter, per hoc scilicet quod producit actum tendente in finem; quod contingit, cum regulatur per cognitionem finis, formaliter ut finis est. Secundo strictè & propriè, cum nimis non solum producit actum tendente in finem, sed etiam per actum precedentem se applicat ad illum. Et de hac motione loquimur in praesenti, non vero de alia; cum certum sit in prima intentione finis voluntatem dirigiri à cognitione finis, & tendere in illum formaliter quod talis est. Unde.

Notandum tertio: Aliud esse in actibus voluntatis, liberè elicere actum, & aliud deliberatè se habere ad illum. Nam ad liberè elicendum actum, sufficit quod voluntas illum eliciat cum dominio & indifferentia, saltem in exercitio, ita quod nec ex meritis objecti, nec ex aliqua causa effectivè influente, aut judicio ponente necesse sit ad unum. Ad hoc autem ut deliberatè procedat, oportet quod fiat ex consilio & deliberatione rationis, & quod voluntas ex aliquo priori actu se educat in alium. His præmissis,

Dua se offerunt difficultates breviter hic discussiæ. Prima est, an homo in prima intentione finis, quam habet initio vitæ moralis, dum primò pervenit ad usum rationis, per consilium & deliberationem rationis se moveat, vel ad illum à Deo specialiter moveatur & applicetur? Secunda, an voluntas indigeat hac speciali motione & applicatione Dei, nedium initio vitæ, quantum ad primum actum simpliciter, sed etiam pro omni primo actu, seu negotio quod homo de novo incipit.

E Ratio dubitandi pro una parte est, quia si solum pro primo actu totius vita Deus debet movere instinctu suo voluntatem, ruit fundamentum quo D. Thomas hic art. 4. probat necesse esse voluntatem moveri ab aliquo exteriori principio: scilicet quia cum voluntas non semper sit in actu, sed quandoque in actu, quandoque in potentia, non potest semper seipsum reducere de potentia in actu, sed necesse est ponere quod in primum actum moveatur & applicetur ab aliquo exteriori movente. Hic autem discrusus procedit in quolibet primo actu, & negotio quod homo incipit: nam sicut ad primum actum simpliciter, non supponitur in voluntate aliquid ex quo se moveat, ita nec in primo actu cuiuslibet negotij: Ergo nendum in primo actu simpliciter, & initio vitæ, sed etiam in quolibet negotio, debet specialiter à Deo moveri.

Nec valet respondere, ad primum actum cuiuslibet negotij presupponi primum actum circa finem simpliciter ultimum, ex quo possit voluntas se applicare ad finem particularem in hoc particulari negotio. Non valet, inquam, quia finis particularis interdum est contrarius fini ultimo simpliciter, cuius intentio præexistit, ut contingit quando aliquis primò se convertit ad Deum, postea vero fertur in aliquem finem maiorem particularem, aut econtra: Ergo tunc saltem non potest dici quod voluntas se moveat ex

13.

14.

15.

16.

17.

præsupposita intentione finis ultimi, ad quem A primo fuerat converfa.

Ex alia verò parte, si in quolibet primo actu cuiusvis negotij occurreret, debet voluntas à Deo moveri per instinctum speciale, sequitur maximum inconveniens, videlicet nullam finis noviter occurris volitionem posse esse peccatum, alia peccatum Deo ut causa tribueretur: unde in tractatu de Angelis docuimus primam Angelis volitionem non potuisse esse malam & peccaminosam, quia erat à Deo ut speciali motore: At negari non potest voluntatem posse multoties incipere operari peccando, & intendendo malum aliquem finem; deliberatio enim quam presupponit peccatum, non necessariò debet esse consultatio cum inquisitione, quae propriè consilium dicitur, sed sufficit quod sit perfecta cognitio, quae ad libertatem requiritur, qua cognitio potest supponi ad intentionem finis particularis, ut de le patet: Ergo ad intentionem cuiuscumque finis particularis, noviter occurris, non potest voluntas specialiter moveri & applicari à Deo.

S. II.

Dificultas proposita resolvitur.

19. **D**ico breviter: Prima intentione finis, quam homo elicit initio vita moralis, dum primum pervenit ad usum rationis, à Deo ut speciali motore procedit: in reliquo autem vita tempore, quando nova negotia incipiunt, novumque finis intenditur, aliquando incipit homo operari ex speciali Dei motione & instinctu, aliquando vero seipsum applicat ex aliquo actu præsupposito, formaliter aut virtualiter permanenti.

20. Probatur prima pars: Ut voluntas moveret se quoad exercitium in prima volitione finis, quam homo elicit initio vita, deberet esse in actu respectu illius: Sed voluntas non potest intelligi esse in actu respectu talis volitionis: Ergo in illa non potest se movere, sed debet specialiter à Deo moveri. Major est certa: nam unumquodque intantum movet, in quantum est in actu: Ergo nihil potest se movere ad illud, respectu cuius non est in actu, sed in potentia. Minor vero probatur: quia voluntas illa, cùm sit omnium prima, nullam aliam præsupponit, per quam voluntas constitutatur in actu, & se reducat de potentia in actum.

21. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Idcirco ad electionem mediorum voluntas move seipsum, quia supponit jam in actu per intentionem finis: Cùm ergo ad primam simpliciter finis volitionem nullus actus supponatur (nam ipsa est primus actus voluntatis) non potest seipsum voluntas ad illum movere, sed debet moveri ab aliquo principio extrinseco actuali: sicut animal movet quidem se multipliciter, mediante motoris cordis; ad ipsum vero motum cordis non se movere, sed moverit ab Autore naturæ: quia cùm sit primus omnium motuum vitalium, non præsupponit alium, ex quo animal ad illum se applicet.

22. Confirmatur amplius: Ita se habet finis respectu voluntatis, sicut principium respectu intellectus: Sed intellectus in sensu primorum principiorum non se movet, sed moverit ab Autore naturæ: Ergo & voluntas in prima intentione finis non se movet, sed à Deo ut

speciali motore applicatur & movetur.

Ex quo inferes, Deum duobus modis cum voluntate ad illum actum concurrere. Primo in ratione agentis universalis, eam ad illum prædeterminando, eo modo quo in sententia Thomistarum prædeterminat omnes causas secundas motione quadam generali, per quam attingit in illarum operationibus & effectibus existentiam, actualitatem, bonitatem transcendentem, aliasque rationes divinæ omnipotentia per se primum correspondentes, & in Deum ut in primam causam & ultimum finem reducibilis. Secundo in ratione agentis particularis, eam specialiter applicando ad primam illam intentionem; eo proportionali modo, quod ipsa se applicat ad electionem, & ad alios actus circa ea quæ sunt in finem. Unde sicut voluntas se applicat ad ea quæ sunt ad finem, ex vi actualis illius & practice cognitionis, quam vocamus *imperium*, ut infra ostendemus: ita applicatur à Deo ad primam intentionem finis, mediante aliquā cognitione practicā & actuali, ab ipso specialiter causatā, quae *instinctus* appellatur, & quæ supplet vices imperij, ut colligitur ex D. Thoma infra qu. 17. art. 5. ad 3. ubi ait: *Cum imperium sit actus rationis, ille actus imperatur quia rationis subditus: primus autem voluntatis actus ex rationis ordinatione non est, sed ex instinctu naturæ, aut superioris cause, ut supra dictum est, & ideo non oportet quod in infinitum procedatur.*

Secunda pars conclusio, quæ afflert quod etiam in decursu vita, dum homo nova negotia incipit, novumque finem intendit, sive à Deo specialiter movetur & applicatur, patet: Tum quia interdum intentio illa est supernaturalis, & à gratia operante, cuius effectus sunt à voluntate, non se movente, sed mora à Deo (recte D. Thoma infra qu. IIII. art. 2.) ut dum quis subito movetur ad fidem, vel ad penitentiam. Unde idem S. Doctor hic art. 6. ad 3. *Deus interdum specialiter movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum: sicut in his quas movet per gratiam.* Tum etiam, quia ut docet Caietanus i. p. quast. 82. art. 4. Deus, etiam ut auctor naturæ, ad demonstrandam particularem providentiam quam haber de natura intellectuali, aliquando movet hominem ad opera de quibus ante non cogitaverat, putat ad quareandum thesaurum, ad insequeados hostes, &c. Quare Machab. 4. dicitur: *Incidit illis bonum consilium.* Et Aristoteles libro 7. Ethic. ad Eudemium cap. 18. afflert primam bonam voluntatem esse à bona fortuna: ex quo infert D. Thomas hic art. 4. in calce corporis articuli, quod necesse est ponere, quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis. Ubi non loquitur de volitione quæ est prima simpliciter, sed de illa quæ est prima in aliquo ordine vel serie; ut patet exempli sanitatis quod adducit, afflert quod dum aliquis incipit velle sanari, moverit à Deo, quia ad hunc actum non supponitur consilium aut deliberatio: Ergo non solum ad primum actum totius vita, sed etiam in decursu vita, dum homo nova negotia incipit, interdum specialiter movetur & applicatur à Deo.

Tertia denique pars, quæ afflert hominem in inceptione cuiuscumque negotij, & intentione cuiuscumque finis particularis, non agi specialiter Dei motione & instinctu, sed interdum ad illam

23.

Dip. n.

24.

25.

se applicare & movere , etiam constat : Tum quia homo in inchoatione alicujus negotij & intentione alicujus finis particularis , potest peccare : Tum etiam quia talis intentio potest habere connexionem cum aliis actibus antecedentibus , & ad idem negotium pertinentibus , ex quibus homo potest se applicare ad illam : Ergo non oportet quod in omni primo actu , & inchoatione cujuscumque negotij , incipiat praeceps ex instinctu Dei , sicut in primo actu totius vita ; sed potest etiam ex aliis principiis inchoare , putat ex suggestione Daemonis , aut impulsu appetitus sensitivi , & hujusmodi : & tunc primus ille actus voluntatis , quem de novo habet circa finem illum , supponit aliquem alium voluntatis affectum , putat boni proprii , boni delectabilis , aut hujusmodi , ex quo voluntas applicat intellectum , non ut inquirat & consultet , sed ut judicet talem finem esse hic & nunc bonum & convenientem , sive seipsum ad illum moveat .

26. Ex his patet solutio ad rationem dubitandi initio propositam . Dicimus enim voluntatem specialiter applicari à Deo , non solum ad primum actum totius vita , sed etiam in cuiuslibet negotio nova simpliciter inceptione , & in ea nulquam posse peccare : in inceptione vero non simpliciter prima , sed supponente aliquem actum ad illud negotium pertinentem , non indigere speciali illa applicatione Dei , sed posse seipsum activè applicare ex illo actu præsupposito , formaliter aut virtualiter permanente ; & sic in inceptione alicujus negotij , & intentione alicujus finis particularis , posse esse peccatum .

S. III.

Solvuntur objectiones.

27. **O**BICTIES primò contra primam partem conclusionis : Voluntas se moveat in omni operatione libera : Sed prima volitio , non solum in quolibet negotio , sed etiam initio usus rationis , potest esse libera , saltem quoad exercitium : Ergo ad illum voluntas se potest moveare . Minor patet : Tum quia voluntas eam potest elicere & non elicere : Tum etiam quia potest esse meritoria , & de facto meritoria fuit in Angelis , & in Christo , ut vidimus in tractatu de Angelis . Major autem inde probatur , quod haec sit differentia inter actus necessarios & liberos , quod in illis voluntas non se moveat , sed moveatur ab Authora naturæ , secundus vero in istis , ut praecedenti tractatu ostensum est .

28. - Respondeo , distinguendo Majorem : In omni operatione libera voluntas se moveat , largè & impropriè , producendo actum tendentem in finem , concedo Majorem : strictè & propriè , siveque applicando ad agendum , nego Majorem . Solutio pater ex dictis in secundo notabili : plus enim requiritur ut voluntas se moveat motione illa stricta & rigorosa , de qua agimus in praesenti , quam ut liberè operetur ; quia ut liberè operetur , sufficit quod ejus actus regulet per judicium indifferens ; ut vero se moveat specialiter , necesse est ut illud judicium sit ex aliquo alio priori motu , quo intellectus applicetur ad consilandum & judicandum : quare cum ad primum voluntatis actum non possit supponi judicium indifferens , quod sit ex alio ejus affectu , sed tale judium debeat esse spe-

Tom. III.

A cialiter à Deo applicante intellectum , stat quod in tali actu voluntas possit esse libera , si praesupponatur in intellectu judicium indifferens , & tamen non se moveat , sed specialiter moveatur à Deo . Unde ad probationem Majoris dico , operationes liberas in hoc distingui à necessariis , quod voluntas in illis se moveat per modum principij eliciti , quatenus scilicet illas elicit ex cognitione finis , sub ratione finis ; non autem in necessariis , quia in istis non operatur ex cognitione finis formaliter : quod autem voluntas se moveat in ratione principii applicantis se ad operationem (quod est moveare quoad exercitium) non est differentia actus liberi à necessario , sed actus liberi perfecti tendentis in media , ab actu libero tendente in finem : nam cum prior supponat alium actu voluntatis , scilicet volitionem finis , bene potest intelligi quod voluntas ex intentione finis seipsum applicet ad ea quæ sunt ad finem .

Objicies secundò : Deus non alio modo moveat voluntatem ad primam volitionem finis , quā ad electionem mediorum : Sed ad electionem mediorum ita illum moveat , ut etiam voluntas seipsum moveat ad illum : Ergo etiam in prima volitione finis ita voluntas à Deo moveatur , ut etiam moveat seipsum . Minor patet , Major probatur . Deus non alio modo moveat voluntatem ad priam volitionem , quā voluntatem applicando ad eam elicendam : Atqui etiam applicat voluntatem ad electionem mediorum ; cum in sententia Thomistarum , nec voluntas , nec ulla causa secunda , possit operari & in actum prodire , nisi ut applicata à Deo : Ergo Deus non alio modo moveat voluntatem ad primam volitionem finis , quā ad electionem mediorum .

Respondeo , negando Majorem : ad ejus probationem , distinguendo Majorem : Non aliter Deus moveat voluntatem ad primam volitionem , quā eam applicando , applicatione generali quam exhibet omnibus causis secundis in ratione primi motoris , & generalis provisoris , nego Majorem : applicatione speciali , quam præstat in ratione motoris ac provisoris specialis , concedo Majorem ; & sub eadem distinctione Minoris , nego Consequentiam . Duplíciter ergo Deus moveat & applicat voluntatem ad agendum : primò motione quadam & applicatione generali , quā omnes causas secundas moveat ad agendum , & reducit de actu primo ad secundum ; secundò motione quadam & applicatione speciali , quā ut motor ac provisor specialis supplet defectum & impotentialium alicujus causæ secundæ : primo modo applicat & moveat voluntatem ad electionem & alios actus qui versantur circa ea quæ sunt ad finem ; secundo autem modo solum eam applicat ad primam volitionem , quia respectu illius duntaxat voluntas non est in actu in ratione principij applicativi , ut supra ostensum est . Unde Deus facit respectu primæ volitionis , quod facit voluntas mediante intentione finis , respectu electionis mediorum ; & idcirco dicimus illum concurrere ad primam volitionem finis , ut motorem specialem , quia supplet id quod in electione præstat causa particularis ; ad electionem vero , & alios actus qui circa media versantur , concurrens solum ut motorem & provisorem generalem , quia dum applicat voluntatem ad illos actus , non

29.

30.

E

Respondeo , distinguendo Majorem : In omni operatione libera voluntas se moveat , largè & impropriè , producendo actum tendentem in finem , concedo Majorem : strictè & propriè , siveque applicando ad agendum , nego Majorem . Solutio pater ex dictis in secundo notabili : plus enim requiritur ut voluntas se moveat motione illa stricta & rigorosa , de qua agimus in praesenti , quam ut liberè operetur ; quia ut liberè operetur , sufficit quod ejus actus regulet per judicium indifferens ; ut vero se moveat specialiter , necesse est ut illud judicium sit ex aliquo alio priori motu , quo intellectus applicetur ad consilandum & judicandum : quare cum ad primum voluntatis actum non possit supponi judicium indifferens , quod sit ex alio ejus affectu , sed tale judium debeat esse spe-

T

Supplet vices alicujus cause creatae, sed gerit A
minus causa primae, & motoris generalis.

Objicies tertio, & simul intabas contra præcedentem solutionem. Homo potest peccare in primo instanti usûs rationis: Ergo non movetur specialiter à Deo ad primam intentionem finis, quam elicit initio vite moralis. Consequentia patet, aliás peccatum refundetur in Deum; hac enim ratione probant Thomistæ cum S. Doctore i. p. quæst. 63. art. 5. Angelos non potuisse peccare in primo instanti creationis, quia cum Deus specialiter moveat ad primam operationem, peccatum Deo ut auctori aut motori speciali tribueretur. Antecedens vero probatur ex D. Thoma infra quæst. 89. art. 6. ubi docet peccatum originale nusquam posse cum solo veniali reperi: quia si homo in primo instanti usûs rationis convertatur in Deum, justificabitur à peccato originali; si verò non convertatur, peccabit mortaliter; primum enim quod occurrit homini attingenti usum rationis, est bene disponere de sciplo.

32. Respondeo, distinguendo Antecedens: homo potest peccare in primo instanti usûs rationis, si intelligatur de primo instanti initiativo attингentie usûs rationis, nego Antecedens: si de terminativo, concedo Antecedens, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Homo non incipit attingere usum rationis in unico instanti physico, sed in aliqua morula temporis, longiori aut breviori, secundum quod fuerit subtilioris aut tardioris ingenij: cuius ratio est, quia non attingit usum rationis, nisi per discursum formalis, procedendo de cognitione confusa & in communi ad distinctam; & quia omnis temporis morula terminatur duobus instantibus, & ab uno eorum incipi per ultimum non esse, in alio verò consummatur sive completur per primum non esse, cùm dicatur hominem posse peccare in primo instanti usûs rationis, hoc non debet intelligi de primo instanti illius morula, quod dicitur instans initiativum attингentie usûs rationis (in eo enim homo se habet sicut Angelus in instanti creationis, quia ejus intellectus applicatur à Deo ad primum dictamen rectum, ex quo infallibiliter sequitur primus actus rectus voluntatis) sed de alio instanti terminativo illius; quia cùm tunc voluntas supponatur in actu per actum quem ex speciali Dei motione elicit, potest per consilium & deliberationem se applicare ad illud quod voluerit, & consequenter peccare, convertendo se ad bonum utile vel delectabile dissonum rationis: sicut Angelus in secundo instanti creationis peccare potuit, & de facto peccavit, inordinatè appetendo propriam excellentiam; quia tunc plenè potuit deliberare & se movere.

DISPV TATIO VI.

De Modo quo voluntas movetur.

Ad questionem 10. Divi Thome.

D UO sunt tantum principia interna à quibus voluntas movetur, intellectus scilicet & appetitus, ut constat ex supra dictis; & unum extrinsecum, nempe Deus, qui cum solus sit auctor voluntatis creatae, & bonum universale, solus eam mouere ac intrinsecè immutare potest, ut docet S. Thomas qu. prædicti art. 6. unde ut plenè & perfectè modum quo voluntas movetur explicemus, declarandum est, quomodo à tribus illis principiis moveatur?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus per propositionem obiecti moveat voluntatem in genere cause efficientis?

A FFIRMANT Caietanus, Conradus, Medina, & alij ex nostris Thomistis: negant verò Capreolus, Ferrariensis, Bannez, & alij.

s. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

D ICO primò: Objectum apprehensum, aut intellectus per apprehensionem objecti, non movere propriè physicè seu effectivè voluntatem.

Probatur primò ex D. Thoma hîc qu. 9. art. 1. ubi dicit: *Objectum movet, determinando actum ad modum principi formalis.* Et i. contra Gentes cap. 72. *Intellectus non secundum modum causæ efficientis & moventis, sed secundum modum causæ finalis movet voluntatem, proponendo ei suum objectum, quod est finis.* Item i. p. qu. 82. art. 4. sic ait: *Aliiquid dicitur mouere dupliciter; uno modo per modum finis.... & hoc modo intellectus movet voluntatem.... alio modo per modum agentis, sicut alterans movet alteratum, & impellens movet impulsum: & hoc modo voluntas movet intellectum, & omnes anima vires.* Ergo ex D. Thoma intellectus, seu objectum cognitum, non movere voluntatem in genere cause efficientis, sed solum in genere cause finalis & formalis extrinsecus.

Respondent Caietanus & Conradus, D. Thomas solum velle quod objectum ut cognitum non sit causa efficientis ut quod volitionis, sicut voluntas est causa efficientis ut quod intellectionis, quatenus applicat intellectum ad intelligendum; non tamen negare quod sit causa efficientis ut quo, tanquam ratio agendi, ultimò complens & determinans voluntatem ad producendam volitionem, quantum ad rationem specificam; quod posterius ipsi solum intendunt.

Sed contra: D. Thomas i. p. quæst. 27. art. 4. docet intellectum ex se non esse constitutum in actu primo, idèque indigere aliquo extrinsecu, nempe specie, quâ compleatur, & in actu